Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8321
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

rogat. Deinde subiungit. Quia tui sunt. Neque enim quia pater filio
dedit amisit ipse quos dedit. cum adhuc filius subsequatur ac dicat.
Et mea omnia tua sunt. et tua mea. Ubi satis apparet quomodo unige-
niti filii sint omnia que sunt patris. Et hoc utique quod etiam ipse deus est. et de
patre patri est natus equalis. Hoc enim dictum est de sancta rationabili cre-
atura quam elegit deus. et que subdita est patri et filio. et equaliter
sint patris et filii. Et clarificatus sum inquit in eis. Hanc suam cla-
rificationem tamquam facta sit dicit. cum adhuc esset futura. Clarifi-
catus sum in eis. id est per eorum predicationem clarificatus sum in toto mundo.
Et quia predestinatum est ut fieret certum voluit esse quod futurum erat.
ideo preteriti temporis verbo usus est. Et quia iam non sum in mundo. et hii
in mundo sunt. Significat qua transiturus erat ex hoc mundo.
et verbo presentis temporis usus est pro futuro. quia quod cito erat futurum
quasi factum esse dixit. Quod autem ait et hii in mundo sunt significat eos
ad quos loquebatur tardius transire ex hoc mundo. necesse est ut illi
remanerent. per quos predicaretur nomen eius in mundo. providensque
quod eos movere posset. quia audirent hec que legerent adiecit.
Nunc autem ad te venio. Ascensionis gloriam per quam elevatus homo super alti-
tudinem celorum et omnium angelicarum potestatum dignitates. ita
ut in dextera dei patris collocaretur. IN ASCENSIONE DOMINI. l. det. a.

Primum quidem sermonem feci de omnibus o theophile. que cepit
Iesus facere et docere. et reliqua. Lucas evangelista fratres karissimi
qui unum ex quatuor evangeliis scripsit. ipse etiam librum actuum apostolorum un-
de presens lectio sonat edidit. ubi et premittit de ultimo convivio
quod dominus post resurrectionem suam cum discipulis suis habuit. simul
et de ascensione eius ad celum quam hodie celebramus mentionem fecit.
Exordium enim ipsius libri. ita est. Primum quidem sermonem feci id est evangelium
de omnibus o theophile episcope qui me hunc librum actuum apostolorum scri-
bere cogis. Que cepit Iesus. Primo signa monstrando. vel ad
ea que ad exempla vite pertinebant. facere et postea docere.
quia Iesus bonum doctorem instituens nulla nisi que docuit fecit.
Usque in diem qua precipiens apostolis per spiritum sanctum quos elegit assumptus est.
dans precepta ante assumptionem observare et adimplere que
vel in hoc libro vel in evangeliis leguntur. Quibus et prebuit se ipsum